ARS MORIENDI

CRACOVIAE 1633

Ars moriendi ex

Varijs sententijs collecta ad re-
sistendum in mortis agone dyabolice suggestio-
ni valens cuilibet Christifideli vtilis
ac multum necessaria.



Quamuis secundū philosophum tertio Ethicorum omnium terribilium mors corporis sit terribilissima. Morti tamē anime nullatinus est comparanda: teste Augustino qui ait: Maius est damnum in amissione vnius anime quā mille corporū. Teste etiam Bernardo qui dicit. Totus iste mundus ad vnius anime precium estimari non potest: mors ergo anime tanto est horribilior: atqȝ detestabilior: quanto anima corpore est nobilior atqȝ preciosior. Cum ergo anima tante preciositatatis existat & dyabolus pro morte ipsius æterna hominem in extrema infirmitate maximis temptationibus infestat. Ideo summe necessarium est: vt homo animæ suæ prouideat: ne morte illa perdatur. Ad qđ maximæ expediens est vt quilibet artem bene moriendi de qua est præsens intentio: frequenter præ oculis habeat: atqȝ extremam infirmitatem mente sua reuoluat. Quia vt ait Gregorius. Valde se solicitat in bonis operibus qui semper cogitat de extremo fine. Nam si futurum malum præconsideretur facilius tollerari potest. Iuxta illud futura: si præsciantur leuius tollerantur. Sed rarissime aliquis se ad mortem disponit tempestiue: eo ꝙ quilibet diutius se victurum existimet

nequaq̃ꝫ credens ſe tam cito moriturum: qđ in-
ſtinctu dyaboli fieri certum eſt. Nam plures per
talem ſpem inanem ſeipſos neglexerũt ĩ diſpoſi
ti morientes. Et ergo nullatenus infirmo detur
ſpes nimia corporalis ſanitatis conſequende.
Nam ſecundum Cancellarium Pariſienſem:
Sæpe per talem falſam conſolationem & fi-
ctam ſanitatis confidentiam certam incurrit
homo damnationem: ante omnia: ergo induca-
tur moriturus ad ea quæ neceſſario ad ſalutem
requiruntur. Primo vt credat ſicut bonus chri-
ſtianus credere debet: letos quoqꝫ ꝙ in fide chri-
ſti & eccleſiæ morietur vnitate & obedientia.
Secundo vt recognoſcat ſe deum grauiter of-
fendiſſe & inde doleat. Tertio vt proponat ſe ve
raciter emendare: ſi ſuperuixerit & nunq̃ꝫ am-
plius peccare. Quarto vt indulgeat ſuis offen-
ſoribus propter deum & remitti petat ab his
quos ipſe offendit. Quinto vt ablata reſtituat.
Sexto vt cognoſcat deum pro ſe mortuum &
ꝙ aliter ſaluari non poteſt niſi per meritum
paſſionis Chriſti de quo agat deo gratias: inquã
tum valet. Ad quæ ſi bona corde reſponderit:
ſignum eſt ꝙ ſit de numero ſaluandorum. De-
inde ſtudioſe inducatur ad debitum vſum ſacra
mentorum eccleſiæ. Primo vt per veram contri
tionem integram faciat confeſſionem: alia etiã

ecclesiæ sacramenta deuote recipiendo. Quis-
qs vero de præmissis ab alio interrogatus et in
formatus non fuerit seipsum interroget consi-
derando: si sit dispositus vt præfertur. Qui au
tem sic dispositus est se totum passiōi commit-
tat continue eam retinuando atqz meditando.
Nam per hæc omnes temptationes dyaboli &
in fide maximæ superantur. Vnde notandum
q̄ morituri grauioris habent temptationes q̄z
nunq̄z prius habuerunt. Et sunt quinqz vt po-
stea patebit contra quas angelus suggerit eis
quinqz bonas inspirationes. Sed vt omnibus
ista materia sit fructuosa & nullus ab ipsius
speculatione secludatur: sed inde mori salubriter
discat tam litteris: tantum litterato deseruienti-
bus q̄z imaginibus layco & litterato simul de-
seruientibus cunctorum oculis obijcitur.
Quæ duo mutuo correspondentes:
habent se tanq̄z speculum in quo
præterita & futura tanq̄z
præsentia speculantur.
Qui ergo bene mori
velit: ista eum se
quentibus
dili-
genter consideret.

Temptatio dyaboli de fide.

Ex quo fides eſt totius ſalutꝭ fundamentum:& ſine ea nulli omnino poteſt eſſe ſalus. Teſte Auguſtino qui ait. Fides eſt bonorum omnium fundamentum:et humanæ ſalutis inicium. Et Bernardo dicente. Fides eſt humanæ ſalutis inicium: ſine hac nemo ad filiorum dei numerum poteſt pertinere ſine hac om̄is labor hom̄is eſt vacuus. Ideo dyabolus totius humani generis inimicus totis viribus hominem in extrema infirmitate ab illa totaliter auertere nititur. Vel ſaltem ad deuiandum in ea ipſum inducere laborat dicens: tu miſer in magno ſtas errore non eſt ſicut credis:vel ſicut prædicatur. Infernus fractus eſt. Quicquid homo agit:licet aliquem vel ſeipſum occidat cum indiſcreta penitentia ſicut aliqui fecerunt. Vel ydola adorat:vt reges paganorum: & plures pagani faciunt : nonne in fine idem eſt:quia nullus reuertitur dicens tibi veritatem & ſic fides tua nihil eſt. Hijs & ſimilibus dyabolus maximæ laborat vt hominem in extremis agentem a fide auertat : quia bene ſcit. Si fundamentum ruat omnia ſuper ædificata ruent. Secūdum tamen ꝙ dyabolus in nulla te

pratione hominem cogere potest: nec etiam aliquo modo præualere: vt sibi consentiat q̃zdiu vsum rationis habuerit: nisi sponte voluerit ei consentire quod certe super omnia cauendũ est. Unde apostolus. Fidelis deus qui non patitur nos temptari super id quod potestis: sed faciet cum temptatione prouentum vt possitis sustinere.

Cum si resistis debilior nusquam si resistit fortior Leonum

Bona inspiratio angeli de Fide.

Contra primam temptationem dyaboli dat angelus bonam inspirationem dicẽs: o homo ne credas pestiferis suggestionibus dyaboli cum ipse sit mendax. Nam menciendo prothoparentes decepit: nec aliquo modo in fide dubites. Licet sensu vel intellectu comprehendere non valeas: quia si comprehendere posses nullatenus esset meritoria. Iuxta illud Gregorij Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum. Sed memẽto verba sanctorum patrũ: scilicet Sancti Pauli ad Hebreos. xj. dicentis. Sine fide impossibile est placere deo. Et Ioannis. iij. Qui non cre-

dit iam iudicatus est. Et Bernardi dicentis. Fides primogenita inter virtutes. Et iterum beatior fuit Maria percipiēdo fidem Christi: q̄z carnem Christi. Considera etiam fidem antiquorū fideliū Abraham Ysaac & Jacob & quorūdā gentiliū scilicet Joab Moab meretricis similiū. Similiter fidem apostolorum necnon immutabilium martyrum confessorum atq̄z virginum. Nam per fidem omnes antiqui & moderni placuerūt. Per fidem sanctus Petrus super aquas ambulauit: sanctus Joannes venenum sibi ꝓpinatum sine nocumento bibit montes Caspy orante Alexandro per fidem adunati sunt. Et ideo fides a deo merito benedicta propterea viriliter debes resistere dyabolo & firmiter credere omnia mandata ecclesiæ. Quia sancta ecclesia errare non post cum a spiritu sancto regatur. Nota q̄z cito infirmus sentit se temptari contra fidem: cogitet primo: q̄z necessaria est fides: quia sine ea nullus saluari potest. Secundo cogitet q̄z vtilis est: quia omnia potest: dicente domino. Omnia possibilia sunt credēti. Et iterū. Quodcunq̄z orantes pecieritis credite: quia accipietis. Et sic infirmus faciliter dei gratia dyabolo resiestt. Quare etiam bonum est vt simbolum fidei circa agonisantem alta voce dicatur pluriesq̄z repetatur: vt per hoc infirmus ad fidei constan-

ciam animetur: & demones qui illud audire abhorrent abigantur.

Temptatio dyaboli de desperatione.

Secundo dyabolus temptat hominem infirmum per desperationem: quæ est contra spem atq; confidentiã q̃z homo debet habere in deum. Cum enim infirmus doloribus cruciatur in corpore: tunc dyabolus dolorem dolori superaddit: obijciendo sibi peccata sua præsertim non confessa: vt eum in desperationẽ inducat dicens. Tu miser vide peccata tua quæ tanta sunt: vt nunq̃z veniam acquirere possis: ita vt dicere possis cũ Cayn. Maior est iniquitas mea q̃z vt veniam merear. Ecce quomodo dei præcepta transgressus es. Nam deum super omnia non dilexisti: hominibus iniuriam intulisti: & tamen bene scis ꝙ nullus potest saluari: nisi seruauerit mandata dei: quia dominus dicit. Si vitam ingredi vis serua mandata. Sed superbe: auare: luxuriose: gulose: iracunde: inuidie: accidiose vixisti: attamen prædicari audisti ꝙ propter vnum peccatum mortale

honio potest damnari. Insuper septem opera misericordiae non implesti: quae tamen dominus praecipue inquiret in extremo die: vt ipsemet testatur dicēs: hijs qui a sinistris sunt. Ite in ignem aeternum. Nam esuriui & non dedisti mihi manducare. Sitiui & non dedisti mihi potū. &c. Et ideo Jacobus dicit. Judicium sine misericordia erit illi qui sine misericordia fuit super terram. Vides etiam q̄z plures nocte & die in lege dei vigilantissime laborantes qui tamen nullatenus de salute sua praesumere audent. Quia nullus scit. An odio vel amore dignus est. Et ergo nulla spes salutis tibi relinquitur. Per ista & similia inducit hominem in desperationem: quae super omnia mala est vitanda cum misericordiam offendat dei quae sola nos saluat. Teste propheta. Misericordia domini: quia non consumpti sumus. Et Augustinus dicit. Vnusquisqz positus in peccato: si de venia vera desperauerit misericordiam funditus perdit. Nihil enim sic deum offendit q̄z desperatio.

Bona inspiratio angeli contra desperationem.

Contra secūdam temptationem dyaboli:dat angelus bonam inspirationē dicens. O homo quare desparas. Licet enim tot latrocinia:furta:& homicidia perpetrasses:quot sunt maris gutte & arene:etiam si solus totus mundi peccata commisisses. Etiam si de eisdem nunq̃ prius penitentiam egisses:nec ea confessus fuisses:nec etiam modo ad confitēdum:ea facultatem haberes:nihilominus desperare non debes:quia in tali casu sufficit sola cōtritio interior. Teste Psalmista. Cor contritum & humiliatum deus non despicies. Et Ezechiel ait. Quacunq; hora peccator ingemuerit : saluus erit. Unde Bernardus ait. Maior est dei pietas q̃ quęuis iniquitas. Et Augustinus. Plus potest deus misereri q̃ homo peccare. In casu etiam ꝙ tibi constaret ꝙ de numero damnandorū esses :nequaq̃ adhuc desperare debes: eo ꝙ desperatio nihil ait nisi ꝙ per eam piissimus deus multo magis offenditur & alia peccata fortius aggrauantur pœna quoq; ęterna vsq; in infinitum augmentatur. Christus etiam pro peccatoribus crucifixus est : & non pro iustis:vt ipsemet testatur dicens. Non veni vocare iustos:sed peccatores. Exemplum habeas in Petro Christum negantem. Paulo ecclesiā per-

sequente. Matheo & Zacheo publicanis. Ma-
ria Magdalena peccatrice in muliere deprehen-
sa in adulterio: in latrone iuxta Christum in cru-
ce pendente Maria egypciaca. Nota q̃ cito in-
firmus sensit se temptari per desperationem co-
gitet ꝙ ipsa est peior & damnabilior omnibus
peccatis: & ꝙ nunq̃ debet admitti propter quae-
cunq; etiam peccata. Nam vt dicit Augustinus
Plus peccauit Judas desperādo q̃ Judaei cru-
cifigendo Christum. Secundo cogitet q̃ vtilis
& necessaria est spes. Quia secundum Chriso-
stomum est salutis nostrae anchora vitae nostrae
fundamentum: dux itineris quo itur ad coelū.
Et ideo nunq̃ est relinquenda propter
etiam quaecunq; peccata.

Temptatio Dyaboli de Impatientia.

TErtio. Dyabolus temptat homi-
nem infirmum per impacienti-
am quae oritur ex magna infir-
mitate dicēs. Cur tu pateris istū
dolorem grauissimum qui est in-
tollerabilis omni creaturae: & est tibi penitus in-
utilis: nec etiam tuis exigentibus demeritis do-

lor tantus iure deberet causari. Nam scriptum est. In penis benignior est temptatio facienda. Etiam qđ multum grauat: nullus tibi compatitur: qđ contra omnem rationem fieri nemo dubitat. Licet autem amici ore compatiantur: tamen maximæ propter bona relinquenda tuam mortem mente desiderant: anima quidem corpore exuta vix per vnius diei spacium pro omni substantia relicta corpus tuum hospitari voluit: istis & similibus ad impacientiam quæ est contra charitatem qua tenemur deum diligere super omnia nititur dyabolus hominem inducere: vt sic merita sua perdat. Nota ꝙ morituris maximus dolor corporis accidit his præcipue qui non morte naturali quæ raro est: & sicut docet experientia manifesta: sed frequenter ex accidentibus: puta febre vel apostemate: vel alia infirmitate graui vel afflictiua atqꝫ lōga dissoluuntur: quæ quidem infirmitas plerosqꝫ & præcipue ad mortem indispositos & iniuste moriētes adeo reddit impacientes atqꝫ murmurantes vt plerumqꝫ ex nimio dolorum in impatientia amentes atqꝫ insensati videantur: sicut sæpe visum est in multis. Ex quo vere constat ꝙ tales vtiqꝫ in vera deficiant charitate: teste Hieronymo qui ait. Si quis cum dolore egritudinē vel mortem patitur: seu accipit: signum est ꝙ suf-

ficienter deum non diligit. Et Paulus ait. Charitas paciens est: benigna est.

Bona inspiratio Angeli de patientia.

Contra tertiam temptationẽ dyaboli: dat angelus bonam inspirationem dicens. O homo auerte ab impacientia animum tuũ: per quam dyabolus suis mortiferis instigationibus nihil aliud q̃z animæ tuæ detrimentum quærit: nam per impacientiam & murmur anima perditur sicut per pacientiam possidetur. Teste Gregorio qui ait. Regnum celorum nullus murmurans accipiet. Te igitur infirmitatis quæ respectu meritorum tuorum leuis est: non tedeat cum ipsa ante mortem sit quasi quoddam purgatorium cum tolleratur: vt oportet fideliter & pacienter & libenter cum gratitudine: quia non solum gratitudine opus est in his quæ sunt ad consolationem: sed etiam quæ sunt ad afflictionem. Quia vt Gregorius ait. Misericorditer deus temporalem adhibet seueritatem ne æternam inferat vltionẽ. Et Augustinus. Domine hic vre & seca: vt in e

ternum mihi parcas. Nulle ergo tribulationes te perturbent. Quia Christum nolle te relinquere. Ostendūt iuxta illud Augustini. Mala quæ nos hic puniunt: ad deum nos ire compellunt. Non igitur anime salus approbatur in carnis beneplacitis. Sed potius æterna dānatio. Iuxta illud Augustini. Signum manifeste damnationis est beneplacita assequi & a mundo diligi. Et iterum mirum est ꝙ omnibus ineternū damnandis omnes lapides non surgunt in solatium: sed magis mirum est: ꝙ omnibus ineternum saluandis omnes lapides non surgunt in periculum. Repelle ergo a te impacientiam tanq̄ȝ pestem violentam & assumme pacientiam scutum fortissimum quo om̄es inimici animæ faciliter superanter & respice Christum pacientissimum & omnes sanctos vsqȝ ad mortē. Nota cum infirmus sentit se temptari per impacientiam consideret primo q̄ȝ nociua est impacientia: quia ipsum inquietando & perturbando a deo auertit. Quia dominus dicit. Super quē requiescet spiritus meus: nisi super quietum & humilem corde. Secundo consideret qđ pacientia est sollicite seruanda: primo quia est necessaria. Vnde Paulus. Pacientia est vobis necessaria. Et dominus: nonne oportuit pati Christū & ita intrare in gloriam suam. Et Gregorius:

Nunq̄z ſeruari concordia niſi per pacientiā va-
let. Secundo quia eſt vtilis. Unde dominus.
In pacientia poſſidebitis animas veſtras. Et
Gregorius. Melioris meriti eſt aduerſa tollera-
re q̄z bonis operibus inſudare. Idem ſine fer-
ro martyres eſſe poſſumus: ſi pacientiā in ani-
mo veraciter ſeruamus. Et Salomon.
Melior eſt paciens viro forti & qui
dominatur animo ſuo expugna-
tore vrbium.

Quarto dyabolus temptat homi
nem infirmum per ſuijpſius cō-
placentiam: quæ eſt ſuperbia ſpi
ritualis per quam deuotis & re-
ligioſis atq̄z perfectis magis eſt
infeſtus. Cum enim hominem ad deuiandum a
fide: aut in deſperationem: aut ad impacientiam
non poteſt inducere: tunc eum agreditur cum
per ſuijpſius complacentiam tales in eum proij
cit iaculas & cogitationes. O quā firmus es in
fide: & q̄z fortis in ſpe: & q̄z conſtanter paci-
ens es in tua infirmitate. O q̄z multa bona o-
peratus es maximæ gloriari debes: quia non eſt
ſicut cæteri qui infinita mala perpetrarunt: &
ſolo gemitu ad celeſtia regna peruenerunt: igi-
tur regnum celorum tibi iure negari non poteſt:
quia legittime certaſti. Accipe ergo coronam tibi

paratam & ſedem excellentiorem præ cæteris obtinebis: per iſta & ſimilia dyabolus inſtantiſſime laborat hominem inducere ad ſpiritualem ſuperbiam ſiue ad ſuiipſius complacentiam. Pro quo notandū quod iſta ſuperbia multum eſt vitanda. Primo quia per eam homo efficitur ſimilis dyabolo. Nam per ſolam ſuperbiam de angelo factus eſt dyabolus. Secundo quia per ipſam homo videtur committere blaſphemiam per hoc qđ bonum quod a deo habet a ſe præſumit habere. Tertio quia tanta poſſet eſſe ſua complacentia qđ per hanc damnaretur. Vnde Gregorius. Remiſcendo quis boni geſſit dum ſe apud ſe erigit apud auctorem humilitatis cadit. Auguſti. Homo ſi ſe iuſtificauerit & de iuſticia ſe præſumpſerit cadit

Bona inſpiratio Angeli contra vanam gloriam.

Contra quartam temptationem dyaboli: dat angelus bonam inſpirationem dicens. Miſer cur tu ſuperbis aſcribendo tibiipſi conſtantiam in fide: ſpe: & pacientia: quæ tamen ſoli deo aſcribenda eſt cum ni-

l boni a te habeas domino dicente. Sine me
ihil potestis facere: & alibi scriptum est. Non ti
arroges: non te iactes: non te insolenter ex-
tollas: nihil te præsumas: nihil tibi tribuas. Et
dominus ait: Qui se exaltat humiliabitur. Et
iterum. Nisi efficiamini sicut paruulus iste: nõ
intrabitis in regnum celorum. Humilia ergo te
& exaltaberis dicente domino. Qui se humiliat
exaltabitur. Et Augustinus. Si te humilias de-
us descẽdet ad te. Si te exaltas deus recedet a te.
Auerte ergo mentẽ tuã a supbia q̃ luciferũ quõ
dã angelorꝫ pulcherrimũ fecit dyabolorꝫ defor-
missimũ: & de alta celorꝫ piecit ad inferni pro-
fũda quæ etiã fuit causa omniũ peccatorꝫ. Vn
de Bernardus. Initium omnis peccati & cau-
sa totius perditiõis est superbia. Idem tolle hoc
viciũ & sine labore omnia vicia resecantur. Vn
de singulariter notandũ qd quandocunqꝫ mo-
riturus sensit se temptari per superbiam: debet
primo cohitare qd superbia tantum deo displicu
it ꝙ sola ipsius occasione nobilissimam creatu-
rarum Luciferum cum omnibus sibi adheren-
tibus de celis relegauit in æternum damnando.
Et sic ex tali consideratione se humiliat atqꝫ de-
primat sua recogitãdo peccata quia ignorat: an
odio vel amore dignus sit. Vnde debet præci-
pue capere exemplũ a sancto Anthonio cui dy-

bolus dixit O anthoni tu me vicisti: cum enim
volo te exaltare: tu te deprimis cum te volo de-
primere tu te erigis. Secundo debet cogitare q
humilitas tantum deo placuit q praecipue ipsi-
us occasione gloriosa virgo Maria de-
um concepit: & super choros an-
gelorum exaltata est.

Temptatio dyaboli de Auaritia.

QVinta temptatio dyaboli. Est
Auaritia magis saecula res &
carnales infestans: quae est ni-
mia occupatio temperalium at-
que exteriorum circa Vxores &
amicos carnales seu corporales diuitias: atque
alia quae magis in vita sua dilexerūt per quem
dyabolus hominem maxime vexat in fine di-
cens. O miser tu iam relinques omnia tempo-
ralia q̄ sollicitudinib9 et laboribus maximis sunt
cōgregata: etiā vxorē: proles & consanguineos:
amicos charissimos: & oīa alia hui9 mūdi de-
siderabilia quoꝝ te societati adhuc interesse tibi
magnum foret solatium: ipsis quoque magni
boni occasio. Haec & similia dyabolus homi-

ni in extremis: de Auaritia præsentat: vt sic p̃ amorem & cupiditatem terrenorum auertat ab amore dei & propria salute. Vnde singulariter Notandum: q̄ maxime caueri debet: ne cuiq̄z moriente amici corporales: vxor: liberi: diuitiæ & alia temporalia ad memoriam reducantur: nisi inquantum illud infirmi spiritualis sanitas postulet aut requirat: quia alias maximæ periculosum esset: cum sic ab his quæ spiritus & salutis sunt: quibus maximæ tunc omnibus viribus interioribus & exterioribus intendendum est reuocaretur ad ista miserabilia temporalia & carnalia: tunc maxima solicitudine a memoria & mente remouenda: in quibus certe tunc occupari est valde periculosum.

Bona inspiratio Angeli contra Auaritiam.

Contra quintã tẽptationem dyaboli: dat angelus bonam inspirationem dicens. O homo: auerte aures tuas a mortiferis suggestionibus dyaboli quibus te irri-

derē te inficere conatur. Et omnia temporalia totaliter postpone quorum memoria vtiqz nihil salutis conferre potest: sed magnum impedimē tum: memor verborum domini ad eos qui istis adherēt. Nisi quis renunciauerit omnibus quae possidet non potest meus esse discipulus. Et iterum. Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & vxorē & filios & fratres & sorores adhuc non potest meus esse discipulus. Item ad eos qui istis renunciant dicit. Et omnis qui relinquerit domum vel fratres vel sorores: aut patrem aut matrem: aut vxorem: aut filios: aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet: & vitam aeternam possidebit. Memento etiam paupertatem Christi in cruce pro te pendentis: matrem dilectissimam & discipulos charissimos: propter tuam salutem spontissime relinquentis. Considera etiam: quot tot viri sancti in isto contemptu rerum tē peralium secuti sunt eum: audituri illud. Venite benedicti patris mei: possidete regnum paratum vobis ab origine mundi. Imprime ergo ista tue menti: & omnia transitoria tanq̄z venenum a te penitus repellendo cor tuum ad voluntariam paupertatem integre conuerte: & sic regnum celorum ex promisso tibi debetur: di cente domino. Beati pauperes spiritu: quoni

am ipsorum est regnum coelorum: teqꝫ totum
deo: qui tibi diuitias conferet sempiternas ple-
narie committe: totam tuam fiduciam in eum
fundens. Nota quando infirmus sentit se tem-
ptari per Auariciam: seu amorem terrenorum.
Consideret Primo ꝙ amor terrenorum homi-
nem a Deo separat: quia amorem dei secludit.
Teste Gregorio qui ait. Tanto quis a superno
amore disiungitur quanto hic inferius in crea-
turis delectatur. Secundo consideret ꝙ vo-
luntaria paupertas hominem beatificat
& ad coelum ducit: dicente domino.
Beati pauperes spiritu: quoniam
ipsorum est regnum
coelorum.

SI Agonisans loqui & vsum ra-
tionis habere potuerit fundat o-
rationes. Deum primo inuocan-
do: vt ipsum per ineffabilem mi-
sericordiam suam & virtutem
passionis suae: suscipere dignetur. Secundo di-
ligenter inuocet gloriosam virginem Mariam
pro sua mediatrice. Deinde omnes Angelos &
precipue pro sua custodia deputatum. Deinde
Apostolos: Martyres: Confessores: atqꝫ Virgi-
nes: specialius tamen illos quos vel quas prius
sanus in veneratione habuerit & dilexit: quos

rum imagines cum imagine crucifixi & beatae Mariae virginis ei praesentetur. Item dicat ter istum versum: Dirupisti domine vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis. Nam iste versus secundum Cassiodorum tante creditur esse virtutis: vt peccata hominum dimittantur: si vere confessiõe in fine dicatur. Item dicat ter haec verba vel similia: quae in summa beato Augustino ascribuntur. Pax domini nostri Iesu Christi: & virtus passionis eius: & signum sanctae crucis: & integritas beatissimae virginis Mariae: & benedictio omnium sanctorum ac sanctarum: custodia Angelorum necnon suffragia omnium electorum: sint inter me & omnes inimicos meos: visibiles & inuisibiles in hac hora mortis animae meae Vltimo dicat: In manus tuas domine commendo spiritum meum. Si autem infirmus non sciat orationes dicere: dicat aliquis de astantibus alta voce coram eo orationes: vel historias deuotas in q̃bus quidem sane delectabatur. Ipse vero oret corde & desiderio: vt scit & potest. Vnde nota ex quo tota salus hominis in fine consistat: solicite curare debet vnusquisq;: vt sibi de socio vel amico deuoto fideli & ydoneo prouideat eis qui in extremis fideliter assistat ad fidei constantiam: pacientiam deuotionem: confidenti

am & perseuerentiam ipsum incitando animan-
do & in agonia orationes deuotas fideliter di-
cendo. Sed heu pauci sunt qui in morte proxi-
mis suis fideliter assistunt: interrogando: mo-
uendo: & pro ipsis orando: præser-
tim cum ipsi morientes nondum
mori velint & animæ
morientiũ sæpe mi-
serabiliter pe-
riclitantur.

¶ Impressum Cracouiæ per Mathiam Scharffenberg. Anno domini Millesimo quingentesimo trigesimo tertio.

[illegible] contra [illegible] gorzey y [illegible]
[illegible] [illegible] ka [illegible] [illegible]
Kościelnych częstowali y inszych Włoch y Węgrzy [illegible]
nie powiadali którego porobek tych iest [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] mieszkające [illegible] [illegible]
[illegible] wybrani [illegible] y wodoy [illegible]

Pieklem [illegible] krzywdy [illegible] przesmowaniem [illegible]
drugi dawnej krzywdy ~~[illegible]~~ [illegible]
Wesele [illegible] daruie sobie [illegible]
w którym iesce [illegible] niebył [illegible] a [illegible]
je mogo [illegible] Wielki [illegible] w tym [illegible]
[illegible] Jeżeli w czym [illegible] to się
[illegible] [illegible] a [illegible] [illegible]
[illegible] y [illegible] beatego Wit [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] y [illegible]
[illegible] był [illegible] a przysięgi [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] albo [illegible]